

Moffell. Act.
IV. sc. II.

ea, qua Apostolus utitur, Christum *tertia* die, *τρίτην ἡμέραν*, resurrexisse dicens. *Character claritatis* est ipsa historia eodem modo luculentissime ab omnibus Euangelistis proposita, quae die ante sabbatum mortuum, die post sabbatum, adeoque *tertia* mane summo, resurrexisse Salvatorem maximo consensu tradit. *Character* item eius *claritatis* est, quod receptissima omnibus linguis consuetudine *tertia* dies numeratur ea, inter quam & *primam* vnica dies interiacet, ita, vt numero illo dies, a qua numerandi initium fit, & ea, in qua desinimus, numerando computentur. Sic Romani dies ante Kalendas computantes se gerunt, estq; *tertia ante Kalendas* ea, inter quam & Kalendas vnica interposita dies est, ipsis Kalendis & die, quae *tertia* dicitur, in illo triduo computatis. Sic in phrasi *nudius tertius* seres habet, qua dies significatur hesternum praecedens, clara res ex Plauto: *Heri & nudius tertius* &c. alia taceo. Similiter apud Graecos in vsu id fuit, apud quos, vt alia innumera praeter eam, *τριταῖος πυρετὸς febris tertiana*, quae vna intercedente die recurrit. *τριταῖος* vero, explicante Grammatico vetere, ad Euripidis Hecubam, est *τρίτην ἡμέραν ἔχων, ἀφ' ἧς πάρεστιν*. Nec aliter apud Hebraeos computare vsu receptum fuit. Sic in circumcisione enim *octaua dies* erat obseruanda a natiuitate, ita quidem, vt prima eius octidui natalis infantis, vltima circumcisionis censeretur, licet sub exitum primae istius diei natus, sub initium octauae circumcisis ille esset, non nisi sex diebus integris spatium intermedium constituentibus. Sic Pentecostes festum in quinquagesimam a die oblatis manipuli incidebat, computata ipsa obla-

obla-